



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

86 Omnia mandata tua veritas: iniquè persecuti sunt me, adiuua me.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

tulis. Minatur? quasi vinculis malè libera
 coercet. Promittit? blandissimè allicit. Do- *Virg. 50*
 cet? Salis placidi vultum, fluctusque quie- *Æn.*
 tos ignorare, vt ille ait, non permittit.
 Hæc me ad amorem tuum validè sauciat,
 ad timorem castum impellit: illuminat,
 lucerna pedibus: ad portum spei immensis
 funibus alligat: in medijs fluctibus anco-
 ris validissimè firmat: me ipsum mihi tan-
 quam mundissimum speculum repræsen-
 tat: quæ futura sunt, quasi velata, sine velo
 manifestat: lucidissimas in æternitate mæ-
 fiones mirè depingit: faciem tuam in co-
 ruscatione contemplationis offert: Ange-
 lorum choris interdum inserit: laudes, &
 hymnos supercœlestes occinit, & innume-
 ra præstat: quæ de promptuarijs legis tuæ,
 & Scripturarum tuarum expromuntur.
 Comparem ego Pater bone, Pater super-
 fluais legem tuam, cum hominum dictis,
 & placitis, & videam an non meritò illa
 omnia nœnias & fabulationes appella-
 rim?

86 Omnia mandata tua veritas: iniquè
 persecuti sunt me, adiuna me.

QVemadmodum hominum, & inimi-
 corum dicta, fabulationes, & vanitas
 erant, ita cōtra expertus sum omnia man-
 data tua veritatem. Veritas enim, non va- *psalm. 4*
 nitas liberat Sed quousque filij hominum

graues corde? vt quid diligitis vanitatem,
& quæritis mendacium? Ecce omnia man-
data tua veritas. Illa igitur quærenda, illa
scrutanda sunt, illis est inhærendum. Id si
fiat, etiamsi iniquè persequantur me, erit
mihi persecutio coronarum textura, non
ruinarum occasio, dum tu tamen adiuues
me. Nec adiuuari postulo, vt à malis eri-
piar, sed ne in illis succumbā. Scio fructū
eorum, qui persecutionē patiuntur, si pie
viuere volunt. Scio hic tunctionibus, &
pressuris lapides expoliri, qui in superno
illo templo collocandi sunt, vbi malleus,
& omne ferramentum non audientur.
Hic contra insidiantes certandum: hic vi-
gilandum contra hostes, dum impetimur.
Remissas excubias callidus insidiator ir-
rumpit: assuetum autem bello virum
externa fraus instruit, & gloriosa proue-
hit palma victoriæ.

¶ Paulò minus consummauerunt me
in terra: ego autem non dereli-
qui mandata tua.

PARVUM absuit, quin me perderent, &
extirparent è terra, vt necessario auxi-
lium tuum implorarim. Satis enim indi-
cat, quanto indigeam adiutorio locus ipse
certaminis, terra, inquam, vbi plurimi etiā
sanctissimi viri ceciderunt. In qua & tam
multi

Tribula-
tionum
bona.

2. Tim. 3.

10. 16.

3. Reg. 6.

Terra lo-
cus pu-
gna.